

« Cum enim incomparabiliter, inquit S. Gregor. hom. XIV. in evang. longe sit melior anima qua vivimus, quam terrena substantia, quam exterius possidemus, qui non dat pro ovibus suis substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? »

Tertio, patientes sint, tametsi fructus non statim respondeat. Sufficit si vel unus capiatur piscis. Verificatur sæpe fabula illa de piscatoribus, in quorum cymbam, cum diu frustra laborassent, et jam recedere vellent, casu insiluit piscis. Exemplo est Abraham ille sanctus, apud Surium 16. martii, qui cum gentilium quorundam pagum convertere deberet, ab illis male mulctatus baculis et e pago extractus ac semivivus relictus, rursus rediit et post triennium eos sua patientia vicit tandem ac suos effecit, magisque ab eis postea cultus et amatus est, quam prius odio habitus. Videant etiam laici ut dilatent erga proximum suum viscera misericordiae suae.

V. Non piscentur sine Christo, id est, non fidant suis tantum viribus. Ubi enim quamdiu absente Christo piscati sunt, nihil ceperunt: ita spiritualis piscatio non fructificat, licet omnia facias, sine Christi adiutorio qui adducere pisces debet. Quamdiu expectare debuisset Petrus piscem illum, qui habebat staterem in ore, si Christi manus mira et invisibili potentia eum non adduxisset? Christi tamen ope mox eum cepit. Itaque non nisi instrumentum Dei se esse sibi persuadeat, in piscatura ista. Unde Isaia dicit: *Posui te quasi gladium acutum, et sicut sagittam electam.* Hæc autem ex se non scindunt, nisi elevata et impulsæ.

Accedente auxilio, et fiducia in Deo multum efficient etiamsi humilia et simplicia prædicent. Nam etiam prope littus, non in alto legimus Joan. XXI. ad imperium Christi captos multos ac magnos pisces. Non erant utique omnes buccinatores, milites Gedeonis, qui contra Madianitas tubas inflabant, Jos. VIII. sed alter altero deterius canebat: nihilominus omnes illi hostes terruere ac fugavere. Sic ubi Christus dat gratiam, ibi capiuntur pisces, licet non omnes docta et erudita prædicent, uti videre est in Spiridione episcopo, qui recitato tantum symbolo philosophum superbum et contumacem cepit, apud Euseb. Non omnes possunt esse doctores, possunt tamen omnes implorare Dei gratiam, ut det eis os et sapientiam, auditoribus vero gratiam et cor carneum ad doctrinam acceptandam. Hoc igitur ut agant superest, quod haud dubie majores nostri intendebant, dum in more receptum habebant, ut neomystra triginta missas triginta diebus continuis legerent.

Videant porro et laici, ut omnia sua opera Deo adiutore inchoent, et peragant dicendo: *Deus in adiutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina.*

Denique, dicant cum S. Petro: *Domine, in nomine tuo laxabo rete.* In nomine tuo, hoc est, ad gloriam nominis tui: non ad proprium commodum, juxta id apostoli, 1. Cor. X. *Omnia in gloriam Dei facite.* In nomine tuo, id est, in voluntate et præcepto tuo (hoc sensu locutus Petrus in hodierno evangelio), quocumque enim me miseris vel vocaris, illuc ibo etiamsi in altum ducere jubeas peregrinarum nationum. In nomine tuo, id est, in gratia tua, juxta id apostoli, 1. Cor. XVI. *Omnia vestra in charitate fiant.* In nomine tuo, id est, in persona tua, et sicut piscatus es maxima suavitate, charitate, patientia, etc. ita volo piscari et ego. Denique: *In nomine tuo, id est, tu nixus adiutorio, non meo.* Rogemus ergo Deum, charissimi, oro, pro neomystra nostro, ut Deus det illi gratiam ad piscandum feliciter. Roget ille pro nobis, ut velut boni pisces intremus in Christi rete in eoque maneamus, donec colligamur in vas æternæ felicitatis.

CONCIO III.

QUAM FRUSTRA LABORENT SECTATORES MUNDI, IMO QUAM SIBI PERNICIOSE.

I. Ambitiosi dignitatum cupidi. — II. Gloriæ cupidi. — III. Avari. — IV. Voluptuarii. — V. Gulæ et ebrietati dediti. — VI. Favorum sectatores.

THEMA.

Per totam noctem laborantes nihil cepimus.

Luc. V.

Vidistis forsitan, auditores, in nudinis aliquando sortilegam ollam, in qua innumera sunt schedulæ, quæ dato certo pretio extrahuntur, forte, ad lucrum præmiorum et denariorum mire fulgidorum, quæ illic ostentantur. Ibi vasa aurea, argentea, equi et rheda, sclopleta, gladii, thoraces ferrei, vestes holosericeæ, etc. quæ neminem non accendunt ut pecuniam sortibus credat, interim vero si pro quinque vel decem florenis manum schedulis plenam extrahas, nihil fere aliud invenies quam nihil, nihil, nihil. Vix tandem aliquando speculum, fistulam, cochlear, aut cultrum vilissimum acquires, quem indignabundus abjicies aut pedibus conculcabis, ac jurabis te nec obolum amplius in hunc fortunæ ludum insumpturum. Videntur mihi Petrus ejusque socii hodierno in evangelio similem lussisse ludum; tota siquidem nocte jactabant retia in

mare, sub spe capturæ piscium: extracta iterum laxabant. Interim vero per totam noctem laborantes nihil ceperunt, nec unum quidem gobium: ita ut pertæsi operis naves ad littus reducerent, et animum piscandi abjicerent. Hinc enim rursus piscari jussi aiunt: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Sed non ipsi soli sortem istam subeunt; omnes quotquot sequuntur mundum et ejus bona, hoc idem experiuntur. Mundus iste mare est, tumens, fluctuans, scopulis et piscibus plenum. In hoc plerique hominum magno suo periculo, vix digito a gehenna distantes piscantur, et alius quidam purpuras honorum et dignitatum, alius uniones laudis et existimationis, alius aurum divitiarum, alius ostreas gulæ, alius Sirenes libidinis, alius spumas favoris humani, alius alia piscatur. Retia sunt curæ et labores, quos impendunt piscationi illi, studia, artificia, inventiones, fraudes, technæ, varii lucrandi modi, etc. Mundus hic etiam olla est sortilega, ubi splendidissima proponuntur bona. Interim vero si accurate expendas, quid homines inde extrahant magnis laboribus et impensis, nil aliud videbis, quam nihil, nihil, nihil. Miseri igitur sunt qui huic ludo operam dant; id quod demonstrabimus.

I. Hujusmodi pisces sunt: ambitiosi qui honores et dignitates venantur, quid enim non laborum, obsequiorum, pecuniarum impendunt, ut desiderata fruantur dignitate? Aliqui propterea bella gerunt, omnia sua expendunt, plurimos sibi amicos faciunt, sese submitendo, adulando, inserviando: et interim tamen sæpissime nihil capiunt, dum spe sua fraudantur.

Quare similes sunt hi venatoribus onagrorum: onagri enim homine conspecto in iisdemstant vestigiis, etiam accedente illo; mox rudentes, immotis anterioribus pedibus, posterioribus calcitrant. Ubi tamen prius accesserit venator ut fere manu possit eos tangere, fuga se subtrahunt nec capi se patiuntur. Ad eundem modum honores et dignitates monstrant se ambitiosos, quasi facile acquiri possint: sed ubi proxime accesseris, quasi jam capturus prædam, ea sæpe elabitur e manibus: unde Prov. XII. dicitur: *Non inveniet fraudulentus lucrum suum,* per quem intelligit Beda ambitiosum: ibi Septuaginta habent: *Non assequitur dolosus venationem suam:* in Hebræo: *Non aduret fraudulentus feram suam.* Putant quidem ambitiosi et ominentur rem esse factam, nec aliud superesse nisi ut assent feram; sed: *Non adurent feram suam.* Deinde, licet aliquando assequantur petitam dignitatem adhuc nihil ibi reperiunt, nisi majores curas et labores. Contingit eis id quod pueris, qui aspicientes montis alicujus verticem,

putant cælum non plus uno digito ab eo distare, aut etiam solem cum in vertice oritur, manibus se contingere posse, si in illo essent; at cum forte aliquando rependo et sudando ad verticem illum venerint, tum primum vident quæ ceperunt fuerint; quodque nunc æque longe a cælo vel sole absint, ac prius. Dignitates et officia procerum ejusmodi montium vertices sunt, quos in valle aspicientes homines putant beatitudini proximos; vident enim eorum comitatus, pompam, vestes, dapes, palatia, respectus, titulos, etc. o qualis mons! O si semel ad hunc pervenirem! Nonne cælum digito tangerem et beatus usquequaque forem? Age igitur repamus, consendamus, ut illuc perveniamus. Et fit aliquando, ut quis eo deveniat rependo, algendo, sudando: ubi illic fuerit, tum primum videt, quanto in errore versatus sit: ægrotat ut prius, moritur ut prius, eget ut prius, insidias et inimicitias patitur ut prius; præterea videt se negotiis et curis obrui, omnia esse plena periculis et suspicionibus: nunc hæc civitas deficit, nunc alia defectionem meditatur: undique querelæ et libelli supplices. Tum demum dicit: Regem, ducem, episcopum, abbatem esse, nil aliud est quam hoc? Hæccine est beatitudo? Agnovit hoc Alexander papa, qui primo Franciscanus monachus, secundo archiepiscopus Mediolanensis, tertio pontifex erat. Dicebat enim: « Quando eram frater et theologus, cælo eram ditissimus; quando factus sum episcopus, factus sum pauper; quando papa, factus sum mendicium. » Similimum est, quod Henricus I. archiepiscopus Moguntinus de se dicebat: *Fui dives canonicus, pauper præpositus, mendicium jam sum episcopus,* ms. apud Serar. d. V. rerum Mogunt.

II. Gloriæ cupidi, qui hominum laudem, existimationem, et nominis celebritatem quarunt. Alii se adornant splendidissimis vestibus, ut magni videantur: alii sordibus, ut sancti: alii omnia sua verba cum pondere proferunt, gressus ad majestatem, et vultum componunt: alius divitias ostentat: alius paupertatem ut magni fiat et laudetur. Similes hi sunt Hanoni illi Carthaginensium duci, qui multo labore decuit aves cavea inclusas pronuntiare nomen suum, ut dicere: *Hanon est deus;* ut postmodum dimissæ hoc idem garrissent undique. Verum illæ libertati restitutæ omnes ad suum naturalem mediæ cantum, Hanonis non meminere amplius, Alianus, lib. XII. Simili modo dum homines se componunt ad laudem et gloriam aucupandam, quid aliud sibi volunt, quam homines docere ut passim loquantur ipsos esse deos, nobiles, doctos, divites, sanctos, etc. sed o quam decipiuntur! Licet enim hoc aliqui in presentia illorum dicant, ubi discesserint et ad alios vene-

riat, loquuntur quod sentiunt, cachinnantur, derident, reprehendunt, infamant; adeoque nihil illi miseri capiant suis rebus. Unde superbis ait Jeremias, cap. IV. *Cum vestieris te cocco, cum ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra comperis, contempserunt amatores tui, animum tuum quærent.* Exemplo sit Jezabel illa (ad quam alludit ibi Jeremias) quæ ad introitum Jehu regis Israel prospiciens de fenestra, pinxit oculos suos stibio et ornavit caput suum, ut nimirum gratiosa esset in conspectu Jehu, adeoque si non uxor, saltem concubina ei fieret, secundum Abulensem ibi. Sed nonne frustra composita est, quæ mox a Jehu dejici per fenestram jussa, et paulo post ab equis conculcata et a canibus devorata usque ad ossa, ita ut prætereuntes dicerent: *Hæcine est illa Jezabel?* IV. Reg. V. Sic nimirum gloriæ sectatores incidunt in dentes hominum mordacium et fiunt vulgi fabula. Quod id non exantlavit Cicero ille, quas non molestias toleravit gloriæ consequendæ gratia? Et tamen spe sua frustratus exclamavit: *O me nunquam sapienter!* Cum aliquando ille claros aliquot adolescentes accusatos strenue defendisset, et ob id maximam gloriæ accessionem sibi apud Romanos factam putaret, e Sicilia Romam veniens quæsit ex obvio amico Romano, quis de ipso sermo et rumor inter cives esset? Et ille: *Tu vero Cicero,* inquit, *ubi hoc spatio fuisti,* igitur animo plane concidit et deceptionem suam agnovit, Maiol. to. II. coll. VII.

Deinde, et si gloriam forte acquirant isti, quid illa nisi fumus? Nisi vana tantum et volubilis hominum opinio et aura? Annon Lappi isti qui fumos et ventos vendunt emuntque, quod de Lappiæ incolis scribitur? Deinde, quam angusta est hæc fama et laus? Certe de Alexandri Magni summa potentia et Aristotelis summa scientia testatur Cicero quod eorum fama nec Caucasum montem transcendere, nec Gangem fluvium transnatare potuerit. Præterea num hi licet aliquid sint inter homines, apud angelos vel demones aliquid reputabuntur? Minime. Denique, quid prodest eis, si hic celebrentur et in inferno torqueantur? Nonne igitur insania est, omne studium suum ponere in ea gloria acquirenda, quæ proprii tecti apicem non transcendit?

III. Avari, qui opibus insidiantur. Quis enim recenseat labores eorum quos ipsi habent in acquirendo, conservando, amittendo? De primo ait Isaias, cap. LIX. *Telas araneorum texerunt. Tela eorum non erit in vestimentum, neque operientur operibus suis.* Quanto cum labore textit aranea suam telam? Quoties circumvit? Quam artificiose eam suspendit? Totam denique se eviscerat in texendo; et quid quæso ca-

pit? Muscas, easque minores solum. Ita res habet cum divitibus. Quoties illi circumveant terram et perambulant eam? Quoties trajiciunt maria? Quot retia tendunt pro lucro pecuniarum? Seipsos eviscerant, emaciant, curant, sudant, esuriunt, somnum non capiunt, propriis dorsis merces circumferunt, technas etiam et fraudes excogitant, quibus merces suas distrahant, juxta id Jer. cap. IX. *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, laboraverunt ut inique agerent.* Quære ex mercatore: Quanti valet hæc res? Dicit mox tanti, et jurabit ac pejerabit se carius emisse. Huic succedit alter labor conservationis: ut enim tela araneæ ex capto muscarum laceratur paulatim et tandem omnino dissolvitur: ita ex majori lucro magis laceratur anima et vulneratur curis. Hinc enim Dominus comparavit divitias spinis, quæ sine vulneratione tractari nequeunt, sed ubicumque attingeris, pungunt. Et quid muscæ illæ quas capiunt araneæ, nisi eadem curæ, quæ lacerant conscientiam? Muscæ aliquæ etsi multoties abigantur, semper tamen redeunt, et quietem dormientis impediunt: ita curæ illæ infestæ sunt divitibus. Denique, ubi texuit aranea prædamque cepit, tum denique venit ancilla cum scopis eamque deturbat et pedibus proterit: ita mors etiam divites una cum telis everrit et in terram prosternit ubi omnium pedibus calcantur. Similes sunt avari pueris qui in alieum hortum per spineta non sine vulneribus irrepentes, non sine difficultate arbores conscendunt, pomis spoliant, eisque sinus suos replent. Tandem venit olitor et non modo aufert eis prædam, sed etiam probe mulctat eos verberibus. Ita sane mors avaros tractat, qui magno suo labore divitias compararunt. Rota molendini tota die circumagitur, et tamen vesperi eodem loco consistit quo erat mane nec unum quidem passum progressa est. Sic res habet cum divitibus: *Nudus egressus sum de utero matris meæ,* ait divus Job, cap. I. *nudus revertar illuc.* Sic: *Impii in circuitu ambulat.* Non legistis aliquando testamenta? Et quid ibi legistis? Nonne hæc aut similia verba: Hæc uxori meæ relinquo, hæc liberis meis relinquo, hæc amicis relinquo, etc. Ubi aliquando legistis: Hæc mihi reservo? Hæc mecum feram, etc? Nihil horum. Ecce ergo quam verum illud Psalm. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitarum in manibus suis.*

IV. Voluptuarii, qui libidinem sectantur. Et hæc o quam cara emitur! Quantis laboribus, impensis, fraudibus? Dicit impurus id Osee II. *Vadam post amatores meos,* sed Deus subjungit: *Propter hoc ecce ego sepiam vias tuas spinis.* At hoc nihil curat ipse, sepe transilit, vestes extra relinquit, manus vulnerat, pomum licet uni-

eum quod forte conspexerat, quærit: idque cum magno timore, velut fur, observans et circumspiciens, ne forte deprehendatur. Scribit Cardanus, l. XII. de rerum variet. c. LVI. Fenellam reginam Kemetho regi Scotorum porrexisset pomum aureum ita fabricatum, ut quicumque illud tetigisset, statim multis telis e pomu prosilientibus transigeretur: eoque regem nihil suspicantem invitatum in Festicarii oppido occidisset. Profecto hujusmodi pomum meretrix et libido est, quo contactu suo plurimis ac venenatis telis configit amatorem. Quis recenseat obscenorum labores donec optato fruuntur amore? In ipsa vero fruitione pavidi sunt instar furum, ideo latibula quærunt, ac quemadmodum Saul sub umbra hostibus circumdatus, magno suo periculo dormiunt, I. Reg. XXVI.

Ad extremum vexat eos conscientie remorsus et delicti poenitentia. Ut enim qui scabie vexantur, ipsa fricatione quamdam sentiunt voluptatem, sed protinus acer dolor sequitur, ut eos fricuisse poeniteat; ita fit in hoc flagitio. Quid non excogitavit Amnon ut sororem comprimeret? Et tamen mox postea majore eam prosequeretur odio, quam prius amarit, II. Reg. XIII. Denique, licet sciat talis se propterea gravem ignominiam et damnum incursum, non ideo tamen abstinet. Ad hæc ægritudines, morbi abominabiles, mors accelerata sequuntur. Quod si igitur Demosthenes invitatus magno pretio ad scortum dixit: *Non emo tanti poenitere,* quo modo non idipsum dicere deberent omnes, si hæc omnia considerarent?

V. Gulæ et ebrietati dediti. Hi imprimis magnis expensis et laboribus comparant, quæ absumant ad sui perniciem. Elisei puer, IV. Reg. IV. in agrum profectus magno studio collegit herbas ut coqueret eas et pararet cibos; sed comedentibus illis, mox exclamarunt omnes convivæ: *Mors in olla, vir Dei;* ita evenit lurconibus; quæ multo labore per hebdomadam lucrati sunt, festis diebus abliguriunt, et inde quid lucrantur? Primo, ad pauperem rediguntur; multos enim crapula ex dominis servos, ex nobilibus ignobiles, ex divitibus pauperes fecit: deinde, sanitatem lædunt; siquidem ebrietas non tam conciliat, quam arcet voluptatem. Ut enim nimius fulgor visum, nimius sonitus auditum prestringit, et lædit; ita nimius potus sanitatem. Rursum sicut phœnix comportat ligna, quibus combaratur: sic gulosi epulas congerunt in ventrem, quibus omnis generis verbos sibi conciliat ac tandem in inferno ardeant. Sequitur eosdem immatura mors; et quod maximum est, privantur ac spoliuntur a potu velut a prædone, usu rationis, qua se dirigere et defendere poterant. Nemo facile pati-

tur se discingi gladio aut armis; quin etiam ad templum ea ferunt multi, ubi nullum insidiarum periculum. Ratio, noster gladius est, quem aufert nobis ebrietas indeque nos constituit in hostium potestate, dæmonis inquam et multorum scelerum, quæ facile dominantur ebrio. Væ illi si mors repentina gladio hoc discinctum repererit. Sepultum enim vino sepeliet in inferno. Quod adeo credibile est, ut Alexander papa tertius, in capitulo audivimus, de rel. et ven. sanct. dicat: *Vix pro talibus in ebrietatibus preceptis Ecclesia permittit orare.*

VI. Favorum sectatores, qui etiam plurimum laborant, quo principibus viris placeant, abjectissima quæque faciunt, tolerant, dissimulant: ad instar chamalæontis eorum se moribus accommodant, in omnem fortunæ ludum vertunt. Et quid inde consequuntur? Imprimis conscientiam peccatis graviter sanciam, dum favore principum liberius peccant, quidvis sibi licere rati, alios contemnunt, ut Aman Mardochæum et Judæos cæteros, insolescunt denique. Insectantur pueri multo cursu papillones, donec eos capiant, quos ubi vix tandem ceperint, nil aliud acquirunt ex inutili vermiculo, quam quod manus inquinant: ita res habet cum istis, qui favores consecantur; quid enim aura inanis et favor quam debilis ille vermiculus, qui difficulter acquisitus non sine animæ periculo et iniquatione retinetur.

Deinde, favor iste sæpe ducit hominem in præcipitium, ut eum graviore casu dejiciat, ut expertus fuit Aman qui in malum suum exaltatus fuit ab Assuero; unde quidem is primo mire gratulabatur et applaudebat. Verum brevi se delusum vidit, nec ad tantum honorum culmen fuit exaltatus, quin postea ad altius patibulum fuerit suspensus, Esth. III. Recte vero in propria cruce, quam erexerat Mardochæo, suspensus fuit; quia favore principis abusus et insolentiam elatus, malum id sibi creavit. Ita Euthymius hæreticus hæreticæ imperatricis favorem aucupans curram paraverat, quo S. Ambrosius in exilium abriperet, gratissimam rem facturus imperatrici magnaque expectans munera. Verum post annum ipsemet favore in odium verso, eodem carpento suo impositus abductus est in exilium. Refert S. Paulinus in vita ejus. Denique, licet demus favorem illum stabilem esse, non durat tamen ultra vitam et felicitatem dominorum, sed cadit illis cadentibus. Quemadmodum enim spuma piscis in spuma maris nascitur et nutritur; simulque cum illa interit, nec prolem gignit, nec ultra annum durat teste Aristotele, l. VI. animal. c. V. ita qui principum favore gaudent, ab illis quidem nutriuntur, sed quamdiu? Per annum forte: nec transit

communiter favor iste ad eorum proles, tandem una cum dominis cadunt. Et quanta est principum vita? Quanta fere spuma: *Omnis enim potentatus brevis vita*, ait Ecclesiasticus, c. X. et Os. X. de rege Samariae dicitur: *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquae*. Vult dicere: Dum Samaria ad idololatriam prona regis sui favorem sectaretur, eumque suae idololatriae complicem fecit, impulit eam in interitum, factumque ut rex cum regno celerime extingueretur. Hedera adhæret arbori andæ et cariosæ, putredini jam obnoxia brevi interitura, ita qui favore principum vivit. Paulo post ruet arbor et ipse una cum arbore.

Quid mirum ergo, si tandem isti omnes subductis ad terram navibus omnem suam industriam et laborem detestentur? Certe Isaias, cap. XIX. de iis dicit: *Marebunt omnes piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent, quia scilicet nihil capient*. Audiamus moerentes Sapientiae V. ita loquuntur damnati: *Nos insensati, lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, et ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus*. Quid aliud dicerent omnes mundi piscatores, qui ante nos fuerunt, si nunc a mortuis resurgerent? Quid Alexander Magnus, quid Cæsar, quid Pompeius, alique qui in historiis celebrantur? Quid aliud quæso dicerent nisi id: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus*? Ambulavimus ut cæci: lassati sumus in via iniquitatis. Nos ergo, auditores, non piscemur in mundi nocte, nec piscemur sine Christo. Sine Christo maximis laboribus nihil captum est: eum Christo minimo labore plurimum captum est. Quantum igitur sapiunt, qui retia sua non in mundum, sed in cælum jaciunt, et solida bona captant.

CONCIO IV.

CAUSÆ CUR TAM PAUCI CONVERTANTUR PER VERBI DEI PRÆDICATIONEM.

I. Ignavi pisces. — II. Vani et leves. — III. Inconstantes. — IV. Obstinati. — V. Perversi.

THEMA.

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. V.

Verissime dixit Dominus per Jeremiam, cap. XVI. *Ecce ego mittam piscatores multos et piscabuntur eos: et post hæc mittam eis venatores et venabuntur eos*, quia vere nunc videmus, Deum in primitiva Ecclesia misisse piscatores, nunc vero venatores. Piscatores unico tractu et facili negotio plurimos capiunt pisces; venatores

vero multis et crebris excursionibus, varisque machinamentis vix unum vel alterum capiunt lepuseulum. Itaque in primitiva Ecclesia prædicatores fuere piscatores, quæ exiguo labore plurimos ceperunt, et converterunt homines. Sic enim hodie turbæ irruunt in retum eis prædicantem. Petrus in prima sua concione festo pentecostes habita, hominum tria millia cepit, Act. II. Andreas ejus frater in Scythia et Epiro innumerabiles homines ad Christum convertit, ut dicitur in ejus officio, lect. IV. apostoli item reliqui, velut exiguum fermentum totam mundi massam suo sermone fermentarunt et converterunt. Atque in hujus rei significationem rumpitur hodie rete præ multitudine piscium, et Joan. XXI. capiuntur simul centum quinquaginta tres magni pisces. At vero nostro tempore, jam non piscatores, sed venatores tantum invenire est qui tot clamoribus, tot figuris et tropis, vix tandem capiunt leporem, uti jure nunc dicere possint: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus*. Sed quid causæ, inquires? Audi apostolum, II. Tim. IV. *Erit tempus*, inquit, *cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed a sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Quis non videt nostris hoc evenire temporibus, ubi tot undique prædicatorum clamores, et interim penè nullus est fructus? Videamus igitur id acutius.

Merito ad Deum dixit Habacuc, cap. 1. *Facies homines quasi pisces maris*. Soli enim pisces inter animalia, ut advertit S. Ambrosius, verba illa declarans, adeo efferi sunt et intractabiles, ut cicurari nulla ratione possint; et tales fere sunt nunc homines. Nam ut variis piscibus variae sunt astutiae, quibus piscatorum effugere manus sciunt: ita hominibus nostri præsertim sæculi, varii modi, quibus concionatorum retia et hamos eludere ac vitare sciunt.

I. Ignavi quidem pisces, qui ad escam sibi parandam parum egrediuntur, sed vel in luto vel antris suis immersi perpetuo delitescunt, quo fit, ut raro capiuntur. Inter hos phoecas seu vitulus marinus piscis est, qui Pierio teste, lib. XXIX. hierogl. quovis in littore dormit: quin etiam (ut Albertus de animal. l. XXIV. in vacca scribit) tanta est humiditate, ut si dextra ejus pinna, qua ad natandum utitur, supponatur temporibus hominis, somnum ei inducat. Hujusmodi ignavorum piscium heu nimis refertum est hoc sæculum, qui nimie prosperitatis humiditate oppressi, in specubus perpetue et sæcularibus suis negotiis delitescunt. Ac si quando ad fittus accedunt concionem audituri, illico obdormiscunt: et habet istorum somnolentia nescio quid sympathiae, qua uno in cubitum indormiente,

dormiunt et reliqui non aliter quam cum uno oscitante oscitat alter. Quod si aliqui vigilant, alia tamen agunt, fabulantur, rident. Unde hoc, nisi quia erga verbum Dei nihil afficiuntur? Quis enim nescit, rem quæ in desiderio est, somnum arcere, et excutere? Vere equidem S. Chrysostomus, ho. XXXI. operis imperfect. ait: *« Ecce si ostendis leoni viridem herbam aut campum bene florentem, non excitas eum in concupiscentia, quia non habet hoc in natura ut herbas manducet. E contra si ostendas bovi carnes non concupiscit, quia bovis natura non est, ut manducet carnem. Sic et homini mundiali, si de bono celesti loquaris non excitatur in concupiscentiam boni. »* Hæc ille. At si delicias in terrena loquaris, mox audiunt eum gustu. Quare eo nunc insanie delapsi videntur homines, quo erant Israelitæ, cum celesti manna abundarent, et interim tantum dicebant: *Beest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo illo levissimo*; caepe tamen et allia carnesque eructabant. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, etc. Numer. XXI. Apposite sane, ut ii, qui manna salutiferam de manu Dei suscipere noluerunt, exciperent a serpentibus ignita et venenata jacula. Nec aliud est quod nobis prædixit apostolus, II. Timoth. IV. qui enim a veritate auditum avertunt, necesse est, ad fabulas, id est, falsas opiniones et venenata dogmata convertantur, quibus imbuti pereant.

Merito non pudebit, si antiquorum Christianorum fervorem hac in re perpendamus. Hodierno in evangelio turbæ irruunt in Jesum ut audiant illum Luc. IV. turbæ: *Requirebant, eum et detinebant illum ne discederet ab eis*, Marci III. *Convenit turbæ ad eum ut non possent neque panem manducare*: alibi sæpe relictis ædibus in desertum eum sequebantur, Actor. XVII. Beroenses: *Susceperunt verbum eum omni avilitate*. S. Gregorius Nazianzenus dum solebat concionari, tanta erat populi advertentia, ut nullum murmur, nullus screatus, non susurrus, nullus quasi anhelus audiretur, ut testatur orat. XII. quæst. II. de se ipso. S. Joann. Chrysost. prædicaturo, populus theatra et spectacula dimittebat, secumque mutuo certabat uter in templo prior esset, et diutius permaneret, ut est in ejus vita, apud. Sar mense januar. S. Vincentio Ferrer. verba sacra faciente, populus ad octoginta millia concurabat, ita ut in campis sæpe illi prædicandum esset: S. Bernardinum vulgus præveniebat in templo sub auroram ut occuparent sedes: S. Antonium de Padua populus etiam ardente sole et stillante pluvia sub dio avidus audiebat, quim et pisces ad audiendum illum Arimini confluisse et littori fluminis Marecchie

adnatasse, traditur; sine dubio ad confusionem nostram, qui tam segniter ad Dei verbum accedimus. Refert Bernardinus a Busto part. 1. rosar. serm. III. quemdam e Saracenorum finibus cum Florentiæ concionem aliquando audivisset, in lacrymas solutum abiisse. Rogatus quidnam fieret: *« Saracenorum, inquit, calamitatem et Christianorum oscitantiam atque ingratitude. Si namque, aiebat, hæc prædicatio facta fuisset Damasci in centum millium corona, ausim spondere, plures octoginta sex millibus ab errore convertendos fuisse. »* Vereor ergo ne aliquando illi in iudicio nos condemnaturi sint.

II. Alii vani et leves sunt, qui escam hamo circumpositam ambedunt quidem et arrodunt, hamum tamen ipsum nunquam arripiunt. Unde fit piscatorem decipiant, dum spongiam et hamum non nihil attrahunt, non tamen illaqueantur. Tales quam plurimi nostro hoc sæculo, qui conciones quidem audiunt, non ut inde emendentur, convertantur, sed ut vel aures pascant, vel ut sciant tantum, quandoque ut censeant et reprehendant vel subsannent. Atque ut fere pisces qui hamum non deglutunt sed arrodunt, pusilli sunt, qui hamum utique crassiorem ori ingerere nequent: ita qui nugæ sectantur, et aures in concionibus pascunt, quamquam sibi met magni et sapientes videntur, pusilli tamen et abjecti sunt, ut qui puerilia et abjecta amant: instar puerorum qui litterarum picturis tantum delectantur easque mirantur, sensum non curant nec inquirunt; ac proinde ad percipienda divina mysteria os nimis angustum habent: ut enim gladius rectus non intrat in vaginam curvam, ita nec verbum Dei in os hominis sinistra intentione depravatam, quia ut Sap. 1. dicitur: *In malevolam animam non introibit sapientia*. At qui verbum Dei gladius spiritus dicitur ad Ephes. VI. qui inutilia et carnalia resecare debet. Qui ergo cor habet ad nugæ dumtaxat et pravos fines intentum, curvam habet vaginam recipiendo verbi gladio prorsus inidoneam. Horum typus erant Israelitæ illi, qui contempto manna, porros, caepe et allia Ægypti desiderabant, Num. XI. cum tamen ista condimenta potius ciborum quam cibi sint. Et nos quid aliud agimus, cum seria et salutaria Christi et apostolorum verba fastidimus, ornatum vero et eloquentiam quærimus, quam quod manna contemnimus, caepe et allia quærimus? Quare ut loca illa, quibus petita Israelitis esca ad interconcionem eorum data est: *Sepulcra concupiscentiæ* vocata sunt: ita qui inutilia, præter purum Dei manna requirunt, recte et ipsi: *Sepulcra concupiscentiæ* vocari possunt; quia nimirum ea tantum desiderant, quæ foetida sunt, putrida et emortua. Atque ita sicuti in